

quolibet anno et cuilibet Presbytero non obvenit quolibet anno nisi summa ducatorum decem, quae videtur minime proportionata pro continuo servitio, et eo fortius, quia binae dumtaxat reperiuntur Praebendae, altera Archidiaconi, altera Decani, quarum prima ad triginta et secunda ad quadraginta annua scuta ascendit, et aliae Praebendae pro aliis duabus Dignitatibus et totidem Canonicis non excedunt annuam praestationem ducatorum decem.

Jura circumferuntur, quocirca onus erit EE. VV. decernere:

An omnes Canonici et Clerus Cathedralis Ecclesiae S. Severinae vigore donationis expletae per bon. mem. Archiepiscopum Berlingerium teneantur quotidie intervenire servitio Ecclesiae seu potius sit indulgendum, ut possint alternative et facta divisione per Turnum et hebdomadam interesse eidem servitio, exceptis temporibus Adventus, Quadragesimae, Rogationum aliisque Vigiliis et omnibus diebus festivis in casu?

S. C. C. resp.: Esse indulgendam alternativam cum solitis Clausulis.

Die 13. Julii 1725.

Atrien.

(Conc. Tr. C. 12. S. 24. De ref.)

Canonici Cathedralis Ecclesiae Atrien. quotidiano et nunquam interrupto Ecclesiae servitio vacantes, itaut quolibet die ter ad dictam Ecclesiam accedant, et aliquando etiam quatuor vicibus, dividendo videlicet tempore Quadragesimali et aliis quibusdam diebus recitationem Vesperarum a recitatione Completorii, supplicent pro vacatione trium mensium attentis praedicto continuato servitio, tenuitate reddituum et aeris intemperie, et Episcopus pro informatione et voto requisitus censuit annui posse petitis.

Sacrum Concilium Trident. sess. 24. cap. 12. de reform. sic statuit: *non liceat vigore cujuslibet statuli aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvo nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt*, et cohaerenter ad hanc Sac. Concilii dispositionem Sac. haec Congregat. Canonicis adstrictis Ecclesiae servitio ultra novem menses et postulantiibus ex gratia vacationem trium mensium, negative, ut plurimum respondit, teste *Fagnan.* in cap.: licet num. 48 et seqq. de Praebendis.

Haec procedunt in terminis Canonicorum servitio adstrictorum ultra novem menses, in eo autem, quod attinet ad Canonicos ex Constitutione aut consuetudine Ecclesiae adstrictos servitio totius anni, haec habentur apud *Garz.* de Benef. 3. par. cap. 2. num. 311. ibi: *si tamen Constitutio aut consuetudo Ecclesiae requirit servitium totius anni, tunc locum habet absentia trium mensium a Concilio permissa; est enim dura residentia totius anni oportetque maxime juxta fragilitatem humanam indulgeri aliquod tempus ad recreationem corporis et animi. Et ita Sacra Congregatio Concilii censuit in una Astoricensi his verbis decret. Concilii cap. 12. sess. 24., concedit Canonicis absentiam trium mensium, si Constitutiones Ecclesiae servitium totius anni requirunt.* Concordat *Barbos.* ad cap. 12. sess. 24. num. 64. et consimiles referuntur Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium Resolutiones apud *Nicolium* in Flosculis in verbo: Canonicus sub num. 31.

Transeundo ad Resolutiones hujus Sacrae Congregationis, haec benigne indulgit, ut Canonici Ecclesiae Collegatae S. Victoriae Farfen. per duos menses a servitio Ecclesiae quotannis pro arbitrio Emi Commendatarii abesse

possent, ita tamen ut omnes interessent diebus Dominicis et festis totius anni et diebus omnibus Adventus, Quadragesimae, Octavae Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi et nunquam a servitio ultra tertiam partem eodem tempore abessent, uti legitur *lib. 19 Decret. p. 582 die 13. Nov. 1655*, eademque benigne annuit, ut Canonici Praenestini per quatuor menses singulis annis, scilicet a prima die mensis Junii usque ad primam diem mensis Octobris per tertiarium, hoc est, octo ex duodecim intervenire deberent et quatuor a servitio vacare valerent, uti habetur *lib. 15 Decret. p. 576 22. Aug. 1637 et in Cathacen. Servitii Chori*, in qua agebatur de Canonicis, qui inserviebant diebus Dominicis et aliis festis solemnioribus et aliis diebus inserviebant alternatim, licet die 19. Novb. 1698 reprobatum fuerit hujusmodi servitium, attenta nihilominus Praebendarum tenuitate, quae erat in ducatis 50 annuis quoad Canonicos, et in ducatis 100 quoad Dignitates, die 12. Sept. 1699 recessum fuit a decisio et attentata Praebendarum tenuitate statutum fuit servitium per Mediaras juxta morem Basilicae Vaticanae, uti habetur *lib. 40 p. 567 et lib. 49 p. 311 et in quadam Causa Leirien.*, in qua ultra vacationem octuaginta dierum Capitulo indultam anno 1553 a Nuntio Apostolico Canonici praetendebant alternis hebdomadis vacatione frui pro tonsione barbae et pro recreatione Corporis., Sac. Congregatio die 24. Jan. 1705 *lib. 55 decret. p. 23* indulgit, ut sublatis quibuscumque aliis vacationibus Capitulum ex gratia frui valeret vacatione trium mensium quolibet anno.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

An et quomodo petitioni sit annuendum in casu?

S. C. C. resp.: Pro gratia ad duos menses ad formam Tarfen. 13. Novb. 1655.

Die 5. et 19. Decb. 1722.

Isernien.

(Conc. Tr. Cap. 12. S. 24. De ref.)

Capitulum Cathedralis Isernien. componitur ex duabus Dignitatibus, Archiepiscopo videlicet et Primicerio, et duodecim Canonicis, et duodecim Hebdomadarii Choro inserviunt; cumque continua sit Choro interessentia, excluso etiam beneficio mensium conciliarium, supplices preces SS. Domino Nostro exhibitae sunt pro obtinenda alternativa, quod una videlicet hebdomada una Dignitas et sex Canonici et duodecim Hebdomadarii Choro inservirent et alia hebdomada alia Dignitas, alii sex Canonici et iidem duodecim Hebdomadarii eidem Choro inservirent et sic alternatim, exceptis tamen communibus, cui omnes interesse deberent.

Supplicatio fuit a Sanctitate Sua ad hanc Sacram Congregationem remissa, quae audire voluit Episcopum et Episcopus testatus est de continuo et nunquam interpolato servitio, de nimia aeris rigiditate et humiditate, de infirmitatibus habitualibus, cui Canonici subjecti sunt, de tenuitate Praebendarum et de simili tenuitate distributionum, cum ex Massa communi unusquisque Canonicus distributionum nomine non percipiat nisi ducatos 20 in pecunia annuos, et modios 10, pariter annuos in frumento, absque eo, quod redditus Dignitatum excedat redditus Canonicorum, cum excessus sit in obulis et tandem concludit Episcopus per dictam alternativam sufficiens praestari Choro servitium.

In Cathedrali Arianen. viginti aderant Canonici et sex Hebdomadarii. Supplicatum fuit Sacrae Congregationi

fuerit inducta ante Bullam laudatam, sed a paucis annis?

S. eadem C. rescribendum censuit

Ad 1. „Posse, sed non teneri, ideoque adimplere onus Horarum canonicarum se conformando in recitatione Officii Calendario dioecetano.“

Ad 2. „Negative.“

Et ita declaravit et servari mandavit. n. 4500 ad 16 et 17 die 20. Sept. 1806.

Ad dubium 1.: An Moniales Cistercienses Ordinario subjectae et Breviario Romano utentes possint continuare in antiqua consuetudine, forsitan quadraginta annorum nec amplius, nec certe immemorabili recitandi de quibusdam Sanctis concessis tantum Congregationi S. Benedicti Hispaniae et Angliae, qui contenti non sunt in Breviario Cisterciensi nec in Codice typis dato Romae anno 1710 pro Monialibus Cisterciensibus Breviario Romano utentibus et quorum reductio ad ritum Romanum non fuit concessa a S. R. C. per 13 Decreta 1701, 1702, 1705 et 1710 initio dicti Codicis inserta, nec de hujusmodi concessione constat?

Dub. 2.: Et ita in casu; quomodo possint continuare, an recitando totum Officium de communi Romano, vel dicendo tantum Lectiones proprias pro dicta Congregatione Benedictina concessas, eas tamen reducendo ad ordinem Romanum, uti hactenus consueverunt?

Dub. 3.: An praedictae Moniales et aliae quaecumque Ordinario subjectae possint continuare in antiqua consuetudine recitandi de omnibus Festis Dioecetanis, non obstante Decreto hujus S. C. R. 15. Julii 1769 in una Ordinis Minorum?

Dub. 4.: An particula illa: „Regulares possunt et debent“, ut in Decreto dato in una Ordinis Minorum 20. Martii

1683, importet rigorosum praeceptum, ita tamen, ut Festa illa, quae ad instantiam Regum conceduntur, in eorum Regnis et Provinciis, Ditionibus etc pro universo Clero saeculari et regulari stricte debeant ab ipsis Regularibus nulla praevia acceptatione recitari? An tantum praevia solummodo acceptatione Regis vel requiratur etiam acceptatio Praelatorum respectivorum?

Dub. 5.: An idem omnino dicendum super haec respectu Cleri saecularis?

S. eadem C. rescripsit, ut infra, videlicet

Ad 1. et 2.: „Recurrant particulariter et doceant de Apostolica concessione facta Congregatione S. Benedicti Hispaniae et Angliae; quae si desit, transmittant Lectiones proprias Sanctorum redigendas ad ordinem Breviarii Romani.“

Ad 3.: „Negative et servetur Decretum diei 15. Julii 1769.“

Ad 4. et 5.: „Terminos Indulti esse attendendos, utrum praeceptum importent vel simplicem facultatem. In Dubio autem recurrendum ad S. C. quoad casus particulares“

N. 4501 die 20. Sept. 1806.

Ad relationem Benedictinor. Einsidl.: Cum saepe contingat, ut in Dioecesi celebretur unum et idem festum, quod etiam fit a Religione Benedictina, et alii in 3. n. assignant unum Evangelium alii vero aliud: Quaeritur: an Religiosi sequi debeant ordinem proprii Breviarii an Dioecetani? S. C. resp.: Servetur Ordo Breviarii proprii monastici nationalis. n. 4044 (dub. circa lection.) dub. 2 die 5. Maii 1736.

Regulares debent celebrare festa perpetuo translata in illis diebus in Calendario Dioecetis, auctoritate Ordinarii assignatis tamquam propriis, quando in illis diebus non occurrat festum

sui Ordinis. n. 4150 ad 1 die 7. Decb. 1743.

Clerici saeculares Choro non addicti possunt recitare de Sanctis Ord. Carmelitani, si sunt ejusdem Ordinis Tertiarii. n. 4176 ad 6 die 4. Sept. 1745.

Qui sunt de gremio alicujus Ecclesiae debent recitare Officium, quod in choro dicitur, licet morentur alibi. S. R. C. 30. Aug. 1602.

Clerici, licet adscripti alicui Ecclesiae, non tamen obligati choro, non tenentur recitare Officia, quae in choro proprio dicuntur. n. 4227 ad 4 die 26. Aug. 1752; 30. Aug. 1602.

Ad dubia: 1. Utrum Alumnus Familiae Capucinatorum iter faciens teneatur extra Chorum ad Officium, quod recitatur in Choro Coenobii, a quo discessit, vel alterius, ad quod pervenit?

2. Tempore Quadragesimae Divini Verbi Praecones commorantes extra Coenobium tenentur se conformare Ordini Divini Officii Coenobii vicinioris vel ejus, ex quo discesserunt et ad quod redire post Pascha debent?

3. Eodem Quadragesimae tempore, quando fit Officium feriale, cui annexum est Officium parvum B. M. V. vel Psalmi Grad., aut Poenit.: haec additionalia anticipare possunt die praecedenti post Completorium, si anticipetur Divini Officii Matutinum?

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit juxta alias decreta

Ad 1. „In itinere sequendum Divini Officii Ordinem Coenobii ex quo discessit: dum pervenit et manet in altero Coenobio et si ad tempus, hujus Ordinem Officii sequatur.“

Ad 2. „Ad neutrum tenentur, sed se conformare debent ad Provinciae Calendarium sine ulla diversitate pro omnibus quolibet Anno extensum.“

Ad 3. Seclusa peculiari consuetudine servanda recensita additionalia obligant in Choro tantum, quae non sunt anticipanda, quia sunt onus diei.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 31. Aug. 1839 n. 4874 ad 1—3.

Quum juxta Rubricas gen. Brev. Tit. VII. de Octavis Officium faciendum sit de Patrono vel Titulari Eccl. et quum varia dentur Decreta S. R. C. quoad personas, a quibus illud Officium est recitandum, hinc diversa est praxis inter Sacerdotes Archidioec. Mechlinien.

Quaeritur ergo: 1. An Sacerdotes saec. qui censentur alicui Eccl. adscripti, quia Missas ibidem celebrant, Confessiones excipiunt aut aliud quodcumque s. Ministerium exercent, possint Officium recitare de Patrono vel Titulari Eccl. (qui non est Patronus Civitatis vel Loci), ut habeatur uniformitas inter Sacerdotes illos et Pastorem ac Vicepastores Eccl., qui celebrant Festum Titularis ejusdem ritus dup. I. Cl. cum Oct., etiamsi nulla adsit obligatio ad Chorum?

Quaeritur: 2. An illi Sacerdotes, si possint recitare praedictum Officium, ad illud etiam teneantur, sicut non satisfaciant obligationi suae sequendo Directorium Dioecesis?

Quaeritur: 3. An iidem Sacerdotes recitare etiam possint et debeant alia Officia propriae Eccl., cui adscripti sunt, v. g. de Reliquia insigni alicujus Sancti, si vel ex speciali Indultu Apost. vel ex legitima consuetudine recitari ibidem soleant a Pastore vel Vicepastoribus?

Et S. eadem C. ad Vaticanas Aedes hac die Ordinariis in Comitibus ... respondendum censuit

Ad quaestionem 1. „Juxta alias decreta, negative; non enim censeri, sed revera esse debent adscripti stricto servitio uti Parochus et Viceparochus.“

Ad Quaest. 2. et 3. „Jam provisum in praecedenti.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4985 die 7. Decb. 1844.

Ad dub.: Quando quis causa itineris vel studii vel aliis de causis extra Patriam sive Dioecesim versetur, debetne recitare Officium sui Capituli, Ecclesiae et Beneficii vel etiam simpliciter Dioecesis, an vero Officium illius Loci, in quo reperitur? S. C. resp.: „Beneficarii tenentur semper ad Officium propriae Ecclesiae, simplices vero Sacerdotes conformari possunt Officio Loci, ubi morantur.“ n. 4669 ad 50 die 12. Novb. 1831.

Ad dubium: An Episcopus, quando reperitur in aliquo oppido suae Dioecesis in Visitatione seu alia de causa, possit licite recitare Officium SSrum, de quibus ex forma rubricarum seu ex concessione S. C., et quod sint patroni vel Titul., in eisdem oppidis recitatur et sic praecepto de recitando Officio satisfaciat? S. C. resp.: Posse et satisfacere. Die 5. Mart. 1643.

Adrien.

In S. R. Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunato a subscripto Secretario relatae quum fuerint preces Rectoris et Professorum Seminarii Civitatis Rodigii in Dioec. Adrien., quibus exponebant non unam inter ipsos vigere opinionem circa privatam horarum canonicarum recitationem, siquidem ipsi ad Cathedralem Adrien. non pertinentes adnexam habent Eccl. Sacramentalem, quae Parochialibus jure vere gaudet quoad Seminarii ipsius Magistros et Alumnos, ac proinde opportunam solutionem efflagitabant super sequentibus quaestionibus, nimirum:

1. An Seminarii Alumni S. Ordini- bus initiati adigantur in divinis Laudibus persolvendis ad Kalendarium adjectae Seminario Ecclesiae sequendum?

2. An idem Kalendarium sequi teneantur Magistri in Seminario ipso degentes seu commorantes, quamvis plerumque aliis in Ecclesiis Sacrosan-

ctum Missae sacrificium celebrent. s. functionibus assistant, Sacramentales Fidelium Confessiones excipiant, vel potius Magistri ipsi teneantur sequi Kalendarium earundem Ecclesiarum, queis ut supra inserviunt, ex ea potissimum ratione, ut Missa cum Officio concordet. S. C. singulis mature perpensis respondit:

Ad 1. „Affirmative.“

Ad 2. „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

Atque ita rescribere rata est ac proposita Dubia declarare. n. 5145 die 7. Sept. 1850.

b) Obligatio recitandi.

Alex. VII. damnavit seq. propositiones:

1. Habens capellaniam collativam aut quodvis aliud Benef. eccles., si studio literarum vacet, satisfacit suae obligationi, si off. per alium recitet.

2. In die palmarum recitans off. pasch. satisfacit praecepto.

3. Unico off. potest quis satisfacere duplici praecepto, pro die praesenti et crastino.

Romae die 24. Sept. 1665 et 18. Mart. 1666.

(Bullar. mag. append. ad tom. VI. p. 1 ed. Luxenb. 1727.)

Pius PP. Quintus.

Nos statuimus, ut, qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur, qui vero Matutinum tantum, dimidiam, qui caeteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei omittat; tametsi aliquis choro adiectus non recitans omnibus horis can. cum aliis praesens adsit fructusque et distributiones forte aliter assignatas, sola praesentia juxta statuta, consue-

tudinem, fundationem vel alias sibi lucrificasse praetendat etiam praeter fructuum et distributionum omissionem.

Item ille, qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, *gravi peccatum intelligat admisisse*. Declarantes praestimonia, praestimoniales, portiones et qualiacunque alia beneficia, etiam nullum omnino servitium habentia obtinentes, cum praedictis pariter conveniri. Ac quicumque pensionem, fructus aut alias res ecclesiasticas ut Clericus percipit, cum modo praedictum ad dicendum Officium parvum B. V. M. decernimus obligatum et pensionum, fructuum rerumque ipsarum omissioni obnoxium.

Datum Romae ap. s. Petrum 26. Sept. 1571.

De revocatione indulti non recitandi Officii vel mutandi etc. Vd.: Indultum (Revocatio n. XI.); Ordinatio Graecor. (n. V.); Psallendimodus; Monial. (Brev., decr. Clem. XIV.)

Benedictus PP. XIV.

In Ecclesia Occidentis imposita est presbyteris, diaconis et subdiaconis obligatio recitandi Offic. divinum, quamvis nullum ecclesiasticum Beneficium fuerint assecuti. Cohaeret enim Ordini s. diurnum pensum horarum canon.; illudque veteri traditione acceptum et immemorabili consuetudine in more positum fuisse docet communior Theologorum opinio.

Quantum assequi potuimus conjectura et testimonio Monachorum *Ritus Cophti* in Urbe degentium, quos ea de re percunctari non praetermisimus, *diaconi, subd. et presbyteri Ecclesiae Orientis* nulla lege expressa, Canone aut Concilii decreto adiguntur ad recitationem Officii divini; quia vero positi in hujusmodi ministerii gradibus tenentur omnipotenti Deo oratio-

nes et sacrificium laudis offerre, *etiam apud Orientales laudabilis invaluit consuetudo recitandi divinum Off.*

Memoriae proditum est Patriarcham Maronitarum plura proposuisse dubia Gregorio XIII., ut supremo judicio definirentur. Legimus §. 6. hoc potissimum: *Creamus*, inquit Patriarcha, *pueros quinque vel sex annorum Subdiaconos sine obligatione legendi horas canonicas*. En ap. definitio relata in opere P. Thomae a Jesu: *Tenantur etiam omnes Ordinati ad horas can. saltem illi Nationi consuetas et a viris doctis recognitas, non solum Beneficiati sed etiam, qui sunt in Sacris sine Beneficio*. Qua de re, si disciplina ecclesiae orientalis subjicit obligationi et praecepto recitandi off. divinum *more Nationis* generatim omnes in s. Ordine constitutos, eadem sane obligatio idemque praeceptum persolvendi horas canonicas *more suae Nationis* afficiat diaconos Cophtos, qui per sol. ratificationem tempore habili emissam denuo assensum praestitere Ordini sacro in infantili aetate suscepto.

Instructio Bened. XIV. ad Cophtos die 4. Maii 1745 (Bullar. r. t. XVI. p. 297 §. 43—45.).

31) Omissio.

Ad dubium: Utrum, si in choro vel privatim omissum est per oblivionem vel inadvertentiam fieri Officium duplex vel semid. alicujus Sancti eodem die, quo debebat secundum rubricas, debeat illud fieri in aliquo alio die vel ejusdem mensis vel alterius sequentis non impedito Officio 9 ll. S. C. resp.: *Negative*. n. 2634 die 17. Junii 1673.

Ubi habetur, quod praetermisso Officio semel in hebdomada vel in mense ex indulto ap. recitando recitari possit Officium ad libitum eadem die occurrens, quaeritur: an illud verbum: *praetermisso* intelligi debeat de intermis-

pro alternativa et Episcopus testatus est de rigiditate aëris: *attenta nimia rigiditate aëris*, testatus etiam est de habitualibus infirmitatibus Canonicorum, nonnulli eorum propter infirmitates habituales sunt inhabiles, et Sacra haec Congregatio die 12. Novembris 1699 indulgit alternativam cum clausula sequenti: *ita tamen ut Capitulares omnes tempore Adventus et Quadragesimae, omnibus diebus festis ac solemnioribus Nativitatis et Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, Pentecostes et Sanctissimi Corporis Christi ac per totam Octavam ejusdem et aliis temporibus Episcopo benevisis interesse et jugiter inservire teneantur*, uti habetur lib. 49 Decretorum p. 447 a tergo.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

An et quomodo petitis sit annuendum in casu?

S. C. C. resp.: Pro gratia ad formam resolutionis Arianen.

Die 26. Junii 1723.

21) Lanceae et Clavor. in Quadrag.

Vd.: *S. Spinea Coron. D.* (decr. n. 4928); *Officium Mysterior. et Instrum. dom. Passionis.*

22) Ad libitum.

Vd.: *Sancti ad libitum; Festum ad libitum.; Off. ex Ind. concess.*

23) B. M. V.

a) De Bethlehem.

Pius PP. VI.

Cum, sicut venerabilis frater modernus Episcopus de Quito in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ipse ad devotionem erga beatam Mariam virginem de Bethlehem in dicta civitate et dioecesi, ubi (ut asseritur) summopere viget, magis excitandam, officium proprium et missam ejusdem beatae Mariae virginis de

Bethlehem alias a Congregatione VV. FFr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum sub die 23. Maii anni 1778 pro ordine fratrum Bethlehemitarum adprobata ad clerum saecularem suae civitatis et dioecesis praedictae per Nos extendi summopere cupiat,

Nos dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes attenta relatione dilecti filii magistri Julii Mariae de Somalia ejusdem Congregationis Secretarii officium proprium et missam beatae Mariae Virginis de Bethlehem alias a dicta Cardinalium Congregatione de ordine fratrum Bethlehemitarum, ut praefertur, adprobatum ad clerum saecularem praedictarum civitatis et dioecesis de Quito, ita ut in posterum idem clerus saecularis officium hujusmodi cum missa sub ritu duplicis majoris dominica tertia post Epiphaniam recitare et respective celebrare libere et licite possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus.

Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae die 28. Jan. 1785.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 362.)

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt venerabilis frater modernus Episcopus de Cuzco in Indiis nec non dilecti filii Capitulum et Canonici Cathedralis ecclesiae hujusmodi, quod ipsi, ut cultus et devotio erga beatam Mariam virginem de Bethlehem in dicta civitate et dioecesi, quo par est, studio augeatur, officium proprium et missam ejusdem Beatae Mariae Virginis de Bethlehem alias a Congregatione VV. FFr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum sub die 23. Maii

anni 1778 pro ordine fratrum Bethlehemitarum adprobata ad clerum saecularem suae civitatis et dioecesis praedictae per Nos extendi summopere cupiant,

Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinatis, officium proprium et missam B. M. V. de Bethlehem alias a dicta Cardinalium Congregatione pro ordine fratrum Bethlehemitarum, ut praefertur, adprobata ad clerum saecularem praedictarum civitatis et dioecesis de Cuzco, ita ut in posterum idem clerus saecularis officium hujusmodi cum missa sub ritu duplicis majoris dominica tertia post Epiphaniam recitare et respective celebrare libere et licite possit ac valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus.

Datum Romae die 28. Jan. 1785.

(Bull. r. Contin. t. VII. p. 363.)

Pius PP. VI.

Cum, sicut venerabilis frater modernus Archiepiscopus Mexicanus in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ipse ad satisfaciendum piae devotioni, quae in suis civitate et dioecesi Mexicana in Indiis erga beatam Mariam virginem sub titulo de Bethlehem summopere viget, officium proprium cum missa ejusdem beatae Mariae virginis jam pro ordine Bethlehemitico adprobatum recitandum dominica tertia post Epiphaniam sub ritu duplici majori ad utrumque clerum praedictae civitatis et dioecesis per Nos extendi summopere cupiat, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere benignitate apostolica dignemur, Nos igitur dictum modernum Archiepiscopum specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinatis, ut

in posterum officium proprium cum missa beatae Mariae virginis sub titulo de Bethlehem jam pro ordine Bethlehemitico adprobatum ab utroque clero civitatis et dioecesis praedictae dominica tertia post Epiphaniam sub ritu duplici majori servata tamen rubricarum dispositione recitari libere et licite possit et valeat auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae apud sanctum Petrum die decima sexta Junii 1786.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 650. Ed. Rom. 1843.)

b) In Sabbato

(Obligatio, dies.)

Vd.: *Missa vot. B. V. M. in Sabb.*

Ad dubium: an in benedictione 8. Lectionis in Mat. Officii Immac. Concept. in die Sabb. qualibet non impedita recitare debeat: *Cujus festum, vel: Cujus commemorat. colimus?* S. C. resp.: *Juxta rubr. Brev. rom.* n. 2360 ad 1 die 13. Febr. 1666.

Qui absque expresso et speciali Sedis ap. indulto in Sabbatis Officia immac. Concept. B. V. M. recitare ausi fuerint, non satisfaciant praecepto de recitando Officio divino. n. 3263 ad 1 die 19. Jan. 1692.

Religiosis Ord. Minorum s. Francisci de Paula Provinciae Majoricen. non licere recitare Off. de B. V. M. quolibet Sabb. non impedito virtute participationis privilegiorum aliarum Religionum, quibus hoc Officium recitari concessa fuit. n. 3528 die 12. Sept. 1699.

Ad dubium: an consuetudo in Sabb. Adventus Quadrag., quatuor temp. et Vigiliarum Offic. immac. Concept. B. V. M. recit. continuanda vel servanda decr. 1651 et 1706 prohibentia similium Officiorum recitationem? S. C. resp.: Servanda esse decreta. n. 4296 die 13. Sept. 1760.

Cf.: *SS. Sacramentum* (Officium fer. V.; praecipue decreta n. 4928; 4746; 3263; decr. de die 20. Mart. 1760). Officium semel in hebdom. concessum recitari debet in Sabb., quando fieri deberet de S. Maria in Sabb. S. R. C. 7. Febr. 1699. *In Tarvisina.*

S. R. C. Capitulo Salern. singulis diebus Sabbati non impeditis Officium B. M. V. sub ritu semiduplici recitanti resp.: Non esse hymnum terminandum cum vers.: *Gloria tibi Domine etc. qui natus es de Virgine etc.*, cum Officium fiat a capitulo de dominica et non de B. V. et tanto magis id servandum esse in aliis festis duplicibus, quae incidunt in dominica, in quibus hymnus terminatur, prout notatur in hymno festi. n. 177 die 23. Nov. 1602.

Utrum in Sabb. non impedito, ubi Officium B. V. ex privilegio dici potest, festum translatum fieri possit? vd.: *SS. Sacramentum* (Off. fer. V. decr. n. 2305 et de die 20. Mart. 1706 ad 2).

Cf.: *Festa B. V. M.; Rosarium; Septem Dolor.; Maternitas B. V. M.; Missale* (approb.); *Vesp. B. V. M.*

24) Monialium.

Vd.: *Moniales* (Brev.); *Confiteor* (additio); *Officium hebdomad. maj.* (In Orat.)

25) Mutatio.

Vd.: *Ritus* (Mutatio); *Festum* (Mutatio); *Off. def.* (Mutatio.)

Non licet aliquid ex devotione seu auctoritate priv. miscere, mutare vel apponere inter ea, quae integrant Officia cujusque diei, quia in officiis Sanctorum nihil est addendum vel immutandum, nisi a Sede apost. concessum fuerit. S. R. C. 10. Junii 1690.

26) Mysterior. et Instrum. dom. Passionis.

Cf.: *Vesperae* (regulatio decr. n. 5223); *Officium* (Quinque vul. Chr.).

Ad dubium: 1. An Officia Mysteriorum et instrumentorum Dominicae Passionis, ubi concessa sunt ritu dupl. maj. pro quibusdam determinatis Feriis, in iisdem semper locum habere debeant, etiam si in iis aliud Officium aequalis ritus dupl. maj. occurrat?

2. An haec ipsa praecedentia iisdem omnino competat quoties in concessionis Decreto apponatur clausula, quod non transferantur, nisi occurrente alio Officio potioris ritus?

3. An memorata Officia transferri possint de jure, etiam si in concessionis Decreto non appareat transferendi facultas?

4. An concessa etiam hac transferendi facultate Officia Dominicae Passionis reponi umquam possint ultra Quadragesimam, dum nulla reperitur ad Quadragesimae exitum dies libera?

Et S. eadem C. ... rescribere rata est

Ad 1. „Standum peculiaribus Indultis et si satis non sit, in casibus particularibus recursus habeatur ad S. C.“

Ad 2. „Ut ad proximum.“

Ad 3. „Negative juxta alias decreta.“

Ad 4. „Negative sine speciali Indulto.“

Atque ita rescripsit servarique ubique mandavit. n. 5114 die 11. Sept. 1847.

27) SS. Nominis Jesu et B. M. V.

Vd.: *Festum SS. Nominis Jesu et B. V. M.*

28) Nova non sunt introducenda sine licentia Sedis apostol.

Vd.: *Festa* (indictio).

29) Novem Lectionum.

Vd.: *Translatio; Octava; Duplex; Antiph. major.*

Ad dubium: an Officium 9 ll. tam occurrenti in dominica quam in alio

die et tam infra octavam non privilegiatam quam extra semper transferri debeat in die immediate sequenti, etiamsi habeantur alia Officia dupl. prius translata? S. C. resp.: Transferendum est in proximam sequentem diem officio 9 ll. non impeditam. n. 2928 ad 5 die 7. Sept. 1680.

30) Obligatio.

a) Ad quod Officium?

Cf.: *Calendar. Dioec.; Orator. priv.* (decr. 17. Aug. 1709); *Officium ex indulto; Patronus civitatis* (festum, decr. n. 1517); *Chorus* (oblig.); *Clerus Eccles. Cathedr.; Regulares* (Off.); *Officium* (Recitand.); *SS. Sacrament.* (Off. fer. V. decr. n. 4746); *Officium romanum; Titularis; Patronus loci etc.; Episcop.* (Officii recitat.)

Ad dubium: an sacerdotes, qui habent Capellanas sive collativas sive non in Ecclesia Collegiata... Canthiani, valeant recitare Officium, quod recitant Canonici de dedicatione ejusdem Ecclesiae cum octava? Et quid de aliis sacerdotibus et Clericis dictae Ecclesiae inservientibus et non inserv., attento quod dicta Ecclesia sit Matrix et baptismalis? S. C. resp.: presbyteri tantum aliquo perpetuo gaudentes beneficio in Ecclesia matrice possunt se conformare in recitatione Officii cum eadem Ecclesia juxta alias resoluta. n. 3227 die 5. Aug. 1690.

Tertiarii s. Francisci degentes in saeculo, qui fuerint de gremio alicujus Ecclesiae et illius choro obligati, debent recitare Officia partic. illius Ecclesiae, secus autem si sint de gremio et nullatenus choro intervenire debuerint. S. R. C. 28. Sept. 1602.

Tertiarii s. Francisci degentes in saeculo possunt uti Breviario Ord. Min. et illius Calendario conformari. S. R. C. 7. Aug. 1694.

Religiosi Congregationis Vallis Umbrosae non tenentur in suis respective locis et Dioecesibus recitare Officia

Calendarii Dioecesanii nisi de Patrono et Dedicatione Ecclesiae. n. 3316 die 11. Julii 1693.

Capellani, qui in Ecclesia Monialium Ord. s. Francisci de Laurizal juxta ritum Monialium quotidie missam celebrant, non possunt Officium Monialium recitare. n. 4464 ad 3 die 21. Mart. 1795.

Quando non constat, Officia, quae recitantur in aliqua Dioecesi, a S. Sede ap. concessa esse, quaeritur: an licite possint omnes Dioeceses de illis talia Officia habere vel illae Dioeceses debeant cessare a tali recitatione? S. R. C. resp.: Serventur decreta edita super Officiorum recitatione; qui autem particul. officia recitare desiderent, instent pro illorum approb. et concessione. S. R. C. 1. Decb. 1742.

Regulares in *privata* Officii recitatione extra chorum se conformantes Calendariis Conventuum, in quibus actualiter morantur, satisfaciunt oneri recitationis horarum canonicarum. n. 4487 ad 7 die 14. Maii 1803.

Ad dubium: Clerus adscriptus alicui Ecclesiae Parochiali, Choro tamen illius non obligatus, nec gaudens Beneficio et Clerus sub eadem Parochia tantum degens et alteri Ecclesiae non addictus, teneatur recitare particularia Officia illius Parochiae, id est Dedicationis, Titularis vel alicujus Sancti ob insignem ejus Reliquiam, eo quod in illa Parochiali fuerit introducta consuetudo recitandi praedicta Officia a Sacerdotibus et Clericis adnotatis ante Bullam S. Pii V. de Breviario Romano editam anno 1568, ita ut si Officium juxta Calendarium suae Dioecesis dumtaxat celebrent, non adimpleant onus Horarum canonicarum?

2. Num Clerus adscriptus Ecclesiae Parochiali aut non parochiali nulloque praeditus Beneficio possit Officia particularia, ut supra, earumdem Ecclesiarum recitare, etsi consuetudo non